



Hunc librum Muis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann



2. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA
De
EFFICACIA
BAPTISMI,

Quam
Consentiente
Amplissimo summeque Reverendo Theologorum
Ordine in Academia LIPSIENSI

SUB PRÆSIDIO
DN. D. VAL. ALBERTI, P.P.
Consistorii Electoralis & Ducalis, nec non
Facultatis Theologicæ Assessoris gravissimi, Academiae
Decemviri, Alumnorum Electoralium Ephori, Collegii
B. Mariæ Virginis Collegiati, & Polonicæ Nationis
Senioris,

Domini Patroni ac Præceptoris sui omni cultu
devenerandi,

In Auditorio Theologorum Paulino
publice ventilandam proponit

ABRAHAM ROTHE,
Sora Lusat.

A. & R.

Anno M. DC. XCII. d. 3. Maij.

LITERIS CHRISTIANI GOEZI.





Σὺν τῷ Θεῷ.

Procœmium.

Baptismi quanta sit efficacia, L. B. id aliàs Scholasticorum turba eorumque asseclæ multis verbis, sed κατ' ὑπερβολὴν peccando, exprimere satagunt. Audi ex his solum Bonaventuram part. 3. Centiloq. Sect. 48. *Effectus (Baptismi) est characteris impressio, gratia infusio & innocentia restitutio, Cœli apertio: Gratia, inquam, infunditur regenerans, rectificans & purificans ab omni culpa originali & actuali, tam mortali quam veniali: absolvens nihilo minus à pœna aternali, & ab omni pœna satisfactoria temporali, etiam in purgatorio. Nam, ut loquitur Guilhelmus Peraldus Dominic. 6. post octavo. Pentecost. serm. 1. ignem infernalem & etiam purgatorium extinguit, quantum ad ipsum Baptismum, ut de cætero ignis infernalis vel purgatorius nil possit in ipsum; (baptizatum,) nisi ipse peccando reaccenderit eum contra se.* Sed errores, qui

A 2

in

in his verbis non obscure continentur, aliosque plures
refutarunt magno numero nostri *ἄν ἐν ἀγίοις* Theologi,
ex quibus *Gerhardum* saltem, & *Danhauerum* nomi-
nare liceat. Utut vero illi Romanæ sedis jurati hoc
modo excedant nimis, & quod minus ex Scriptura pro-
bare possunt, nihilominus asserere & defendere conen-
tur, nobisque Orthodoxis, Baptismo nimiam astruen-
tes efficaciam, magis quoad hoc suffragari, quam ii, vi-
dentur, qui Efficaciam Baptismi plane nullam esse di-
cunt; in hoc uno tamen extremo non subsistunt, sed &
in alterum prolabuntur, dum nempe eandem, quam
ante ad abundantiam usque Baptismo vindicaverant
efficaciam, ei in futurum denegant, imo nos contrari-
um defendentes, anathematis fulmine feriunt: Sic e-
nim *Concilium Trident. Sess. VII. de Bapt. Can. X. Si quis di-
xerit, peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola
recordatione & fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel
venialia fieri, anathema sit.* Quo autem crassius, eò
clarius hac in parte Calviniani (ut de Socinianis & Ar-
minianis nihil dicam,) deficiunt, qui κατ' ἄλλοις pec-
cantes Baptismum (externum, qui tamen solus proprie
Baptismus est) non salutis medium, sed signum nudum,
internum, ut illi loquuntur, Baptismum significans, non
vero exhibens esse contendunt. Ita enim *Confessio
Belgica* habet: *Significat aqua Sanguinem Christi, Spi-
ritum S. idem prestare & efficere interne in anima,
quod aqua externe operatur in corporibus.* Et *Beza* in
colloq.

colloqv. Mompelgart. Edit. Lat. p. 445. Lavacrum aqua,
inquit, est tantum significatio & representatio Spiritu-
alis lavacri, non est autem ipsa absolutio sive lava-
crum, neque etiam ullam prestare aut efficere potest.
Quo ipso tamen omne teneris Baptistarum menti-
bus præripi solatium, quis non videat? ut taceam, quod
omnino primo ponendum fuerat loco, ipsos Adversa-
rios jam recensitos apertis Scripturæ contradicere Te-
stimoniis. Est sane maximum quoque solatium, quod
pii Parentes inde hauriunt, quando credunt Liberos
suos post Baptismum in tenera adhuc ætate ante ullum
Eucharistiæ S. usum decedentes, vi & efficacia Bapti-
smi post partum percepti, per fidem in Christum pla-
cide beateque decedere, & pace, quam à Deo & cum
Deo in Baptismo per fidem nacti sunt, in cœlesti quo-
que patria verè & feliciter frui: ut iterum taceam, ipsos
adhuc tenellos animos recordatione Baptismi sui erigi
posse, Spiritu S. accensam in ipsis per Baptismum fidem,
efficaciter augente & confirmante: Quod omne verò
corrueret, si Adversariorum nostrorum sententiâ stare
& inniti vellemus. Id quod ego, cùm varie hætenus
animo meo pensitaverim, adductus insuper jussu Vene-
randi Parentis mei, ut specimen quoddam Academi-
cum ederem, in brevi isthac & quali quali Dissertatione
Theologica paucis expendere volui. Faxit ille, cujus
gloria unice hic agitur, ut omnia cedant feliciter!

CAPUT I.

De Thesi Nostra.

§. I.

Missis iis, quæ ad nomen Baptismi spectant, cum tritissima sint & passim occurrant, rem ipsam compendio definitionis, & quidem illius accuratissimæ, quam Magnus olim *ῥῶν ἐν ἀγίοις* Scherzerus in *System.* tradidit, includimus: *Baptismus proprie acceptus est Sacramentum N. T. proprium, seu actio à Deo & Christo, etiam Johannem ad baptizandum mittente, instituta, à Salvatore quidem ἀποστολῆν nunquam administrata, à solis vero Ecclesia ministris ordinariè administranda, qua omnis Homo vivus, natus, infans, nostri Juris, vel adultus fidelis (adeoque non resistens) in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, aqua naturali, Spiritu tamen unita, ordinata necessitate, immergitur, vel eadem aspergitur, ut ex aqua & Spiritu regeneratus ac renovatus, sublato omni reatu, etiam in futurum fiat filius gratiæ & gloriæ. Cujus efficaciam imago quedam est Exorcismus.*

§. II. In hac Definitione, quæ de Baptismo dici possunt, uno intuitu ante oculos habes; ea verò ostendere & examinare nostri non est instituti. Id saltem quod scopum nostrum tangit, dicimus; Efficaciam quam & nos Baptismo cogitamus adstruere, disertis & apertis in eâ verbis indicari, quando nempe dicitur: *ut (Homo) ex aqua & Spiritu regeneratus ac renovatus, sublato omni reatu, etiam in futurum fiat filius gratiæ & gloriæ.* Qua de Efficacia nunc dicendum ulterius est.

§. III. Efficacia verò est vis, quæ rei inest, ut actu ipso operetur. Germanis dicitur: *Eine Krafft*: Græcis *δύναμις, ἐνεργεια*: quæquam *illud* vocabulum actum Efficaciæ primum seu *δύναμιν ἐνεργητικὴν*, potentiam operandi, hoc verò actum Efficaciæ secundum sive operationem ipsam designare videatur. Quicquid autem ejus rei sit, utramque Baptismo competere dicimus, Baptismo

imo inquam in actione (quod probe notandum) considerato
sive in usu suo. Per hoc siquidem Baptismus cum Sacramento
Coenæ differt à Verbo divino, quod omnino etiam ante & extra
usum intrinsecam habet vim & efficaciam ad effectus spirituales,
ad quos à Deo destinatum est, producendos: Sacramenta verò,
& sic etiam Baptismus, extra usum suum vim neque habent ne-
que exercere, aut effectus spirituales ullos producere possunt.

§. IV. Vis ista & efficacia, quam Baptismo assignamus, est
organica sive instrumentalis. Deus siquidem uti per verbum,
ita etiam per Sacramenta efficaciter operari constituit, ita ut Ba-
ptismus quando administratur, naturà & ordinatione divina jam
potens & efficax medium sit accendendæ fidei & consequendæ sa-
lutis: Medium inquam instrumentale & sua essentia supernatura-
le (quatenus simul constat re terrena & cœlesti,) quod à prima
institutione & productione, sufficienti h. e. divina & summa vi
& efficacia præditum est, ut non indigeat nova alia & peculiari
ad producendum spirituale effectum.

§. V. Quam Baptismi Efficaciam dum organicam esse di-
cimus, simul innuimus, eam non esse (α) Physicam, ac si aquæ
baptismali vis regenerandi & fidem conferendi ceu subjecto
Quomōs inhæreat, & ita per habitualement quandam inhærentiam
insit, habeatque vinculo quasi indissolubili Spiritus S. gratiam si-
bi alligatam & vim supernaturalem ingeneratam, quæ quasi foe-
cundata eam inde effundat: neque (β) moralem, ac si virtus di-
vina ad producendum gratiæ effectum Baptismo certò & infal-
libiliter assistat coordinatè & mediante Symbolo aquæ, non verò
per hoc Symbolum influat in effectum: Quæ æquè ac prior o-
pinio non tantum S.S. Literis, sed & naturæ instrumenti repu-
gnat: neque (γ) objectivam mediatam seu repræsentativam, ac
si Sacramentum Baptismi externe tantum monstret & repræsen-
tet, quæ sit Dei voluntas, quæ via ad vitam æternam, quæ fides,
quæ regeneratio, renovatio, quæ salus item æterna &c. nec deni-
que (δ) miraculosam, stricte sumpto $\tau\delta$ miraculosi vocabulo;
Quam-

Quamvis enim concedamus, haud exiguam Baptismo cum miraculo intercedere affinitatem, non tamen Baptismum & miraculum statim unum esse dicere possumus. In eò namque ipsa rei natura, in hoc autem usus ejus rei tantum mutatur. Manet enim aqua in Baptismo eadem numero aqua, in τάξις tamen sua sacramentali non est nuda aqua & res merè naturalis thesaurique cœlestis expers, sed est res Sacramentalis & lavacrum Regenerationis in Verbo, quæ aqua Spiritu S. plena & cum ipsa S. S. Trinitate modo ineffabili unita est; hinc medium est, per quod Spiritus S. operatur, indeque efficaciam ejus organicam seu instrumentalem, veram tamen realem & effectivam esse dicimus.

§. 6. In quo autem hæc Baptismi Efficacia consistat, jam in definitione §. 1. indicavimus: *Hominem nimirum ex aqua & Spiritu regenerari & renovari, omnemque reatum sufferri, ut homo etiam in futurum fiat filius gratiæ & gloriæ.* Nimirum id dicimus & confitemur, præeunte nobis ita *Augustana Confessione Art. IX. per Baptismum Homini offerri gratiam, eundemque per Baptismum quoque recipi in gratiam Dei.* Offerri autem per Baptismum gratiam Dei non objective aut repræsentativè (sic enim Efficacia Baptismi objectiva foret, id quod tamen §. 5. negavimus,) sed verè, realiter & effective, id ea verba docent, quando in *A. C. ibid.* dicitur: *Per Baptismum Hominem recipi in gratiam.* Recipitur autem homo in gratiam, dum per Baptismum regeneratur; nascitur namque in eò & per eum filius Dei, i. e. fide in Christum donatur, cujus merito apprehenso omnia ei peccata & quæ culpam & quæ poenam remittuntur, justitia Christi, per Baptismum oblata, in eodem ei imputatur, sicque in Dei filium & hæredem bonorum cœlestium adoptatur, cum ante Baptismum susceptum & (ordinarie) sine eo sit natura filius iræ, *Eph. 2. v. 3.* Unde homo baptizatus per idem Sacramentum, quippe quod lavacrum Renovationis dicitur *Tit. 3. v. 5.* renovatur, i. e. Justitia & Sanctitas per lapsum Adami amissa in eo, effuso jam super ipsum Spiritu S. instauratur, ut acceptis novis viribus depulsisque mentis erroribus,
volun-

voluntate correcta & appetitu coexercito novus inde Homo emergat, qui secundum Deum creatus est in Justitia & Sanctitate vera. Et hac ratione homo per Baptismum regeneratus & renovatus revera est filius gratiae & gloriae, id quod pignus & arrhabo vitae aeternae Spiritus Sanctus in corde ejus testatur, qui testimonium perhibet, quod & ipse sit Dei filius & beatus hic in spe, re quoque ipsa in altera futurus vita; *Rom. 8. 16, & 24.* Et haec est Efficacia, quam aliam Calviniani interno solorum Electorum attribuunt Baptismo.

§. VII. Quod causam & originem, addo & fundamentum hujus Baptismi Efficaciae concernit, *illam* Deum unitivum ejusque immensam Bonitatem & Sapientiam, *hoc* verò Verbum & promissionem Evangelicam aquae baptismali annexam esse dicimus. *Illius* enim est gratiam justificantem & Sacramentis vim, gratiam eam nobis conferendi, dare, quippe qui Sacramenta ut media salutis solus instituit, perque ea gratiam suam *κρείως καὶ ἀντεξέστως* confert, tanquam Autor principalis. Suntque tres individuae Trinitatis personae: Ideò enim Christus, ut Autor in assumpta Humanitate *αὐτοπροσώπως* instituens, Discipulos suos baptizare jubet in nomine trium Deitatis Personarum, *Matth. 28. 19.* Terminative tamen non incommode Spiritus S. autor, sive causa efficiens procreans Efficaciae Baptismi dicitur, quippe qui non exclusis reliquis personis, Autor quoque Regenerationis & Renovationis est. Ex hujus verò Dei trinivius voluntate, vi verbi institutionis & promissionis divinae, Baptismus aquae efficaciam tantam nanciscitur, & ad effectus supernaturales, Regenerationis nempe, Renovationis & Salvationis &c. producendos elevatur, ut sit *ὄργανον* & *ὄχημα*, per quod Deus exhibet & applicat credentibus promissionem Evangelii de remissione peccatorum, justitia & vita aeterna. Non enim aqua Baptismi ex se & per se ac vi sua naturali absque operatione & virtute Spiritus S. tam efficax ad

B

effe-



effectus spirituales edendos est, sed habet hoc, quod intus operetur, modo instrumento conveniente, hoc inquam ex Dei Auctoris efficaci dispositione, Christi institutione & operatione Spiritus S. habet. Etenim Deus hic est, qui ὑπὲρ νόον, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ φύσιν καὶ πᾶσαν κατάληψιν facere potest, *Eph. 3. 20.* Cuius Bonitati, quia summe bonus est, non repugnat, media salutis augere, & præter verbum sanctique Spiritus collationem etiam Sacramenta, inprimis Baptismum dare & instituere, ut scilicet ordinario modo etiam Infantes salventur, cum eius voluntas non sit, ut unus ex parvulis illis pereat, juxta *Matth. c. 18. v. 14.* qui non vult ut ullus pereat, juxta *2. Petr. 3. 9.* Sic ergo, quod Baptismus operatur, Deus per Baptismum operatus esse dicendus est.

§. VIII. Hæc Baptismi Efficacia ut vera realis & effectiva sit, sive ut clarius loquar, licet baptismalis aqua cum Verbo Dei conjuncta & in usu legitimo adhibita, operante per eam Spiritu S. sufficienter efficax sit, ea tamen in actu secundo, seu ἐνέργεια illa aut virtus ejus, sese quoad effectus non semper exerere potest, ob impedimentum à subjecto nonnunquam interpositum. Quanquam enim in Infantibus Baptismi efficacia sese semper exerit, propterea quod nullum ipsi Spiritus Sancti operationi ponant impedimentum, siquidem vitio hypocriteos ipsi carent: In adultis tamen se res habet aliter; hi enim actuali impoenitentia aut hypocrisi obicem ponere possunt, & operationem Spiritus Sancti impedire; id quod vel unius Simonis Magi exemplo demonstrari potest ex *Act. c. 8. v. 13. & 21.* Quo sane in casu Baptismus haudquaquam ex opere operato ipsis prodesse potest, sed potius in judicium ipsis cedit & damnationem. Quamvis autem Hypocritis istis Baptismus ipso- rum culpâ non prosit, salva nihilominus manet Baptismi Efficacia; manet enim efficax organon, per quod Spiritus S. gratiam justificam offert, & conferre nec non applicare eis vult, si ipsi non resistant & repugnent.

§. IX.

§. IX. Est autem virtus & efficacia Baptismi ea, ut effectus non tantum quâ præteritum & præsens tempus producat, verum etiam in futurum usque sese extendat. Ad præteritum enim & præsens quod attinet tempus, constat, quod Baptismus labem peccati Originis tollat, licet non funditus, quoad culpam tamen & reatum penitus; imò non tantum peccatum Originis quoad reatum, sed & peccata ante actu commissa, horumque conferat remissionem, quam ut apprehendant sibi que applicent Baptismi Candidati, fidem in Infantibus quidem accendit, in Adultis verò confirmat & obsignat, & ita omni reatu sublato utrosque mundat ab omni impuritate, vestitque vestibus Justitiæ & Salutis Christi, cujus beneficia morte parta efficaciter applicat & obsignat, & sic ex Filio naturæ iræ, Filium Dei efficit: Quæ omnia *Catechismus uterque B. Lutheri* astruit, quando dicit: *Operari Baptismum remissionem peccatorum, liberare à morte & Diabolo, & donare æternam Beatitudinem omnibus & singulis, qui credunt.*

§. X. Tanta taliave Bona & Dona, cum sint perpetua, & Baptismus ea Candidatis suis conferat, non possumus ideo non affirmare, ea ipsa vi Baptismi semel suscepti in perpetuum durare, baptizatisque Fidelibus omnino prodesse. In specie de Adultis quidem sive iis, qui sese probant, ut digni ad sacram Domini Cœnam accedant, de iis inquam verissimum est, quod in fruitione Bonorum cœlestium in Baptismo ante collatorum per Sacramentum illud Confirmationis confirmantur, illaque denuo ipsis obsignentur: Sed de Infantibus & puerilis ætatis Juventa non minus constat, nosque firmiter asserimus: Baptismus etiam in ipsis efficaciam suam exerere, siquidem per eundem Deo accepti redditi sunt in Christo Jesu, unico illo dilecto: Quis igitur neget operationem Spiritus Sancti, quem in Baptismo in pignus & arrham vitæ æternæ & ipsi acceperunt, vel tum maxime sese exerere, cum jubente ita Deo, fatis ipsi

concedere debent? Sane Spiritus Sanctus, qui ex ore ipsorum laudem & præconium Christo comparare non dedignatur, juxta *Pf. 8.3.* vel tum maxime in ipsis quàm efficacissime operatur, & fidem in Christum in eis accendit: Imò non despicit ille preces piorum Parentum, quos bene novit, Liberos suos Baptismi ab ipsis suscepti sæpius commonefacere, ægreque decumbentes eò ipso erigere, novit pias hæc acclamationes ad confirmandam & obfignandam in parvulis illis fidem adhibere.

§. XI. Unum adhuc restat: Ut nempe dicamus de eâ, quæ etiam aliquo modo Baptismi dici potest Efficacia: Nimirum, ut jam supra diximus, homo Christianus in Baptismo & per eundem regeneratus est, & filius Dei factus; ipse Spiritus S. ei in pignus datus est, cujus gratia quoque vires pie & juxta Dei præcepta, quanquam non sine magna imperfectione in hac imbecillitate vivendi, ei sunt datæ & collatæ: Hæc si consideret Baptismo initiatus olim, & insuper perpendat, quod in Baptismo Diabolo omnique ejus essentiæ operibusque renuncia-
verit, quod Deo contrà fidem suam addixerit, velit ei tanquam Domino & Patri suo, à quo in numerum filiorum receptus est, servire, hæc inquam si serio perpendat, relictas sanè peccatorum sordes cane pejus & angue fugit, ne gratiam Dei in Baptismo acceptam amittat rursus; & ita coram Deo more Filios Dei decente ambulat, in Fide in Christum, quem in Baptismo induit, persistit, ejusque exemplum imitatur, nec Spiritum S. cujus facellum factus est ipse, contristatur, sed potius ejus ut ductum sequatur, veteris Hominis concupiscentias mortificando, seque indies magis magisque ad exemplum Dei componendo, id inquam quam maxime omnique agit nisu. Hoc namque est, quod Paulus jubet suos olim baptizatos Ephesios: *ut deponant juxta priorem conversationem veterem Hominem, qui corrumpitur juxta concupiscentias erroris, renoveantur verò Spiritu*

*Spiritu mentis ipsorum &c. Epb. 4. 22, 23, 24. Hæc verò cur debeant fieri, idem exponit: Rom. c. 6. v. 3, 4. ubi edocet, ob Baptismum susceptum novæ vitæ omnino studendum esse, ac si diceret: utique & certissime scitis, omnes illos qui baptizati sunt in Christum Jesum, in mortem ejus baptizatos esse: sepultos igitur esse una cum illo per Baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus sit Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & Baptismo olim initiati in vitæ ambulent novitate. Ergò, si per Baptismum Spiritus S. & vires ad vitam spiritualem necessariæ conferuntur, quidni dicamus etiam, eum ad Pietatis quoque Studium excitandum efficacem esse? & si hoc, (sicuti id per se verissimum est,) ejus Efficaciam in futurum quoque se extendere? Expressit hanc Baptismi ad piam vitam excitandam Efficaciam B. Lutherus, quando is generalem aliquam Baptismi significationem respectu finis & effectus innuit, dum dicit: *Significat ista* (in aquam immersio) *quod vetus Adam, qui adhuc in nobis est, subinde per quotidianam mortificationem ac pœnitentiam in nobis debeat submergi & extinguï, atque rursus quotidie emergere ac resurgere novus Homo &c.**

§. XII. Tandem cum Sacramenta etiam notæ professionis sint inter Homines, juxta *Aug. Confess. Art. XIII.* Baptismo hic etiam effectus vel maximè est adscribendus, ut nimirum fideles ab infidelibus distinguat, illorumque *κρίτηριον* sit certissimum. Cave tamen, cum Socinianis in hunc solum finem aut saltem primario Baptismum institutum esse putes. Vide *Interesse Religionum Dn. Præsidis Art. VIII. p. 380. seqq.*

CAPUT II.

De Probatione Thesis Nostræ.

§. I.

Quæstio est: An Baptismus sit efficax? & quidem Efficacia non physica, nec morali, aut objectiva, aut miraculosa.



iosa stricte sic dicta; ista enim omnia jam *supra c. 1. §. 5.* removimus: Sed Efficacia organica sive instrumentali? & hanc adstruimus & vindicamus Sacramento Baptismi, quia Spiritus S. uti per ministerium Verbi, ita per Sacramenta efficax est, & primùm quidem per Baptismum ut Sacramentum initiationis, tanquam per electum Salutis medium. Probabimus autem hanc assertionem nostram duplici modo: Primo in genere, quod Baptismus sit efficax, post verò quà præteritum, præsens & futurum tempus, in specie.

§. II. Præsupponimus autem Baptismum esse Sacramentum, cui essentialia Sacramenti requisita vere competant: quod nempe sit *actio sacra & solennis, divinitus instituta, circa certam rem visibilem coelesti unitam, qua Deus humano ministerio digne utentibus, promissionem Evangelicam applicat & obsignat, uti B. Scherzerus Sacramentum definit in Brevic. p. m. 128. §. 94.* Habere verò hæc etiam Baptismum, vel ex definitione ejus *supra c. 1. §. 1.* allata dispalescit. Nos, quia Adversarii plerique Baptismum pro Sacramento vero habent, hic nullam movebimus litem, ab instituto nostro alienam.

§. III. Jam quod Baptismi Sacramentum sit efficax, probamus in genere: (α) à natura Sacramentorum, quæ utique Baptismo quoque competit: Est autem ea Sacramentorum natura & qualitas, ut sint sigillum & fides promissionum divinarum hominibus exhibendarum & implendarum: Sigilli verò natura proprie est, ut si promissionibus sit affixum, eas exhibeat & obsignet: Hinc ergo Baptismus pariter efficax salutis medium erit sive sigillum in fidem, quam Deus dat ob promissionem de salute exhibenda atque implenda. (β) Si Baptismi Sacramentum non est efficax medium divinam gratiam cum omnibus Bonis offerens, exhibens, credentiq̄ue applicans, & sic tanquam sigillum efficaciter obsignans, signum hac ratione merè nudum & gratiam divinam tantum significans

cans erit: id quod tamen nullus Orthodoxorum affirmabit: quia Sacramento Baptismi adest verbum promissionis, non significans, sed efficacis operationis vim habens: Insuper Scriptura effectus instrumenti offerentis, & gratiam divinam applicantis Baptismo attribuit, quod ut ne negligatur aut omitatur, severe etiam mandatur; necesse igitur est, Baptismum quoque medium Salutis efficax esse. (γ) Patet, Evangelium & Sacramenta esse conformia. *Illud* enim verbum ἀκρυσθῶν, *hæc* verbum ὄρατὸν sunt, & appendices imo Epitome Evangelii; cū ergo Evangelio conveniat, quod sit efficax medium, per quod gratia Dei, remissio peccatorum & salus æterna hominibus offertur, credentibusque applicatur, non sane Sacramentis & inter hæc Baptismo denegare possumus efficaciam instrumentalem. (δ) Scriptura affirmat Circumcisionem fuisse signaculum Justitiæ Fidei, sive medium Justitiam Fidei, quæ est promissio de remissione peccatorum gratuita, efficaciter confirmans & oblians; vid. *Rom. 4. v. 4.* Eadem affirmat, Baptismi Sacramentum successisse in locum Circumcisionis: Ita enim *Paulus Col. 2. v. 11, 12.* dicit: *In Christo circumcisi estis, Circumcisione sine manibus facta, per depositionem corporis peccaminosi in carne, nempe per Circumcisionem Christi: in eâ, quod ei consepulti estis per Baptismum &c.* Quibus verbis Paulus Colossenses edocet, ipsos, in præputio carnis per delicta antea mortuos, nunc vivificatos esse *v. 13.* & resurrexisse cum Christo à mortuis *v. 12.* postquam cum ipso consepulti fuerint per Baptismum, *v. 12.* quem *v. 11.* vocat Circumcisionem ἀχειροποίητον & Circumcisionem Christi, quæ fit depositione corporis peccatorum in carne: & sic innuit (1) Baptismum, quem vocat Circumcisionem ἀχειροποίητον & contradistinguit veteri illi χειροποίητῳ, huic successisse, & (2) ejusdem quoque cum veteri illa esse efficaciam: ut enim *Rom. 4. 11.* docuerat: Circumcisionem χειροποίητον fuisse signaculum & sigillum Justitiæ

tiæ Fidei, sigillum inquam confirmativum promissionum fœ-
 deris, (quale fœdus Circumcisio erat *Gen. 17. 10.* & nunc Ba-
 ptismus est, *1. Petr. 3. 21.*) ita hoc in loco *Col. 2. v. 11. 12.* ejusdem
 esse efficaciam asserit: Unde: Si Circumcisio in V. T. ejusmodi
 fuerat sigillum, quod promissam Judæis gratiam conferret &
 obsignaret, sequitur Circumcisionem in N. T. quam Paulus
ἀχειροποίητον vocat, non minoris esse efficaciam: Recte igitur
 concludimus, Baptismum, quem Paulus Circumcisioni *χειρο-
 ποιήτω* successisse asserit, itidem Salutis medium efficax esse:
 Et quemadmodum Circumcisio in V. T. medium erat, per quod
 Infantibus conferebatur Fides, & per hanc Justitia, in adultis
 verò credentibus eadem Fides confirmabatur & obsignabatur:
 ita de Baptismo quoque credendum est, quod sit medium, per
 quod Infantes pariter atque Adulti Justitiæ Christi omnium-
 que Bonorum spiritualium participes redduntur, dum illis Fi-
 dem confert, his vero confirmat & obsignat. (ε) Magna tan-
 dem absurditas inde sequeretur, si cum Adversariis Baptismi
 Efficaciam inficiari vellemus: Major enim *ἐνεργεια* & efficacia
 lotionum V. T. fuisset, quam quidem in N. T. Hac ratione aquæ
 Jordanis *2. Reg. 5.* & Piscinæ probaticæ *Job. 5.* multo plus pro-
 fuissent, quam baptismalis aqua. Sane si verbo Prophetæ &
 tactu Angeli alicujus, aquæ illæ tam efficaces fuere; cur non
 etiam credamus, aquæ baptismali ex *τάξει* divina, inclusæ &
 comprehensæ verbo & mandato illius, qui major Prophetâ, &
 Angelorum Dominus est, ejusmodi & majorem etiam efficaci-
 am inesse?

§. IV. Hæc de probatione in genere. In specie quoad
 tempus præteritum occurrit (α) illud *Gal. 3. 27.* ubi Paulus di-
 cit: *Quicumque baptizati estis, Christum induistis:* quid quæso
 Paulus hac phrasi: Christum induistis: sibi vult? Certe hoc vult;
 quod quemadmodum Galatæ ante Baptismum in peccatis mor-
 tui, absque Christo & Filii iræ propter opera mortua, peccata
 nempe

nempe fuerint, juxta *Eph. c. 2.* ita nunc in Baptismo omnia eorum peccata sint sublata; Christi namque Justitia & Innocentia à parte Dei per Sacramentum hoc Baptismi, à parte verò ipsorum per fidem ipsis sit collata, imputata & obliata, adeò ut nunc nihil peccaminosi atque damnabilis sit in ipsis, quia in Christo Jesu sunt, juxta *Rom. c. 8.* & sic justificati seu à peccatis absoluti pacem habeant cum Domino nostro Jesu Christo, juxta *Rom. c. 5.* Eleganter Augustinus: Quando in salutari, inquit, aqua, tertio Christiani merguntur, tum Ægyptii i.e. originalia peccata vel actualia crimina rubro quasi mari sepeliuntur, ex eo quòd per Baptismum Christum induere dicimur, *Gal. 3.* August. Hom. 91. de Tempore. Et Cyrillus catech. 2. Nos de nostro, inquit, Baptismo certi sumus, quod & peccatorum sit absolutio & donum Spiritus Sancti conciliet. (β) *Tit. 3. v. 5.* Deus salvos nos fecit per lavacrum Regenerationis & Renovationis Spiritus Sancti. In his verbis Paulus per lavacrum intelligit Baptismum, quia in eò ex institutione Christi aspergimur aqua, cum sanguine Christi sacramentaliter unita, & sic abluimur in conscientia à peccatis nostris sive operibus mortuis, juxta *Ebr. 9. 14.* Vocat autem Apostolus ad ulterius designandam Baptismi efficaciam, eundem, lavacrum Regenerationis: idque ideo, quia Christus nos in eò renasci dicit, *Job. 3. 5.* dum Filii Dei nascimur *Job. 1. v. 12, 13.* quod fit, quando vires credendi supernaturales adipiscimur, ut ita per fidem in Christum ejusque meritum, quæ omnia nobis confert Baptismus, à peccatis abluti, in vitam novam eamque spiritualem transferamur: Unde certe priorum peccatorum nulla deinceps est recordatio, juxta *Ezech. c. 18, v. 22.* aquà siquidem illà Baptismi mundi facti sumus ab omni immunditie, juxta *Ezech. c. 36. v. 25.* (γ) Dicta Petri, *Act. c. 2. v. 38.* & Anania, *Act. c. 22. v. 16. coll. c. 9. v. 17.* efficaciam Baptismi quàm præteritum tempus etiam quàm maxime astruunt. Petrus namque Auditoribus consilium de salute sciscitantibus,

C

id

id suadet, ut baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum; sic enim accepturos ipsos esse, ait, donum Spiritus Sancti. Id quod Ananias confirmat, quando, teste ipso Paulo, ipsi per os Domini annunciat, ut exurgens baptizetur & abluat peccata sua: Quibus ex dictis certe patescit, remissionem peccatorum Baptismo tanquam effectum suæ causæ, sed organicæ, attribui, & sic necessario efficacem esse quoad præteritum tempus, illud ipsum tamen non ex se & sua natura, sed ex ordinatione divina & Spiritus S. operatione.

§. V. Coincidit autem præsens ferme cum tempore præterito: nam eo ipso, quo peccata remittuntur homini infanti & adulto credenti, gratia etiam Spiritus S. & omnia Bona per Christum parta ei conferuntur, confirmantur & obsignantur, idque vi promissionis divinæ. Hoc ipsum probamus: (α) *Eph. 5. v. 26.* Paulus dicit: *Christus mundavit Ecclesiam per lavacrum aquæ in Verbo:* quid per lavacrum aquæ intelligatur, paragr. præced. diximus; Innuit autem hoc in loco Apostolus, quod in Baptismo remissis, quæ culpam quæ pœnam, peccatis, Christi Justitia & obedientia Baptismi Candidato imputentur, quodque vetus Homo mortificetur atque vires ad puram & sanctam vitam agendam conferantur. Vocat autem lavacrum aquæ in Verbo, quia ob verbum mandati & promissi (quod Apostolus intelligit) Baptismus medium mundationis est, juxta *Marc. c. 16. v. 16.* quatenus in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti dispensatur, secundum Christi institutionem, *Matth. c. 28. v. 19.* Ex quo credo Augustini illud esse: *Accedat verbum ad elementum & fiet Sacramentum.* (β) Paulo suffragatur Petrus, qui *1. Epl. c. 3. v. 21.* dicit. *Βάπτισμα, diluvii aut conservationis in diluvio ἀντίτυπον, nos servat, quo non carnis sordes abjiciuntur, sed quo fit, ut bona Conscientia bene respondeat apud Deum per Resurrectionem Jesu Christi.* Prædicat hic Apostolus de Baptismo, quod salvet: quæris quomodo? respondet: dum sit interrogatio Conscientiæ bonæ ad os Domini. Hac phra-

phrasi significat, Baptisma esse actum fœderalem & stipulatori-
um, sive stipulationem & pactum inter Deum & hominem re-
ciprocum, quod ex mutuis interrogationibus & responsioni-
bus nascitur, in quò duæ partes, Deus & homo, sese obligant
ad mutuum reciprocumque officium; Deus quidem qui obli-
gatione ista Homini gratiam & omnia Bona confert & obsignat,
Conscientia verò Hominis de gratia Dei certior reddita testatur
se credere in Deum, ad ejusque voluntatem observandam se ob-
stringit. Tribuit ergo Petrus Baptismo aquæ æternam salu-
tem, ita tamen ut simul indicet, undenam vis illa Baptismi de-
scendat: nempe ex Resurrectione Christi, utpote meriti ejus
complemento; conf. *Rom. 5. v. 10.*

§. VI. Maxime verò, quod Baptismi Efficacia etiam in
futurum, imò ad finem usque vitæ Hominis Christiani se exten-
dat, id probamus: (*α*) *Marc. c. 16. v. 16. Quicumque crediderit
& baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, con-
demnabitur.* Utitur hic dilectissimus Salvator verbo temporis
futuri, eoque ipso maximam Baptismi Efficaciam indicat.
Quantæ enim Necessitatis Baptismum necessitate mediæ *Joh. c. 3.
v. 5.* & necessitate mandati hoc in loco esse dicit, tantæ quoque
utilitatis eum esse, verbo futuri temporis indigitat, dicens:
Quicumque crediderit & baptizatus fuerit, Salvabitur. &c. Quid
per Salutem intelligatur, id enarrare mei nec est instituti,
nec facultatis meæ; dicam verbo: Consistit ea hic in fruitione
imputatæ Christi Justitiæ, ibi in fruitione eorum, quæ oculus
non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis unquam de-
scenderunt. Et hac salute potiri, esseque potituros Baptiza-
tos affirmamus: Sed tamen probe observandum est, nos nun-
quam ab efficacia Baptismi excludere Fidem, quatenus hæc la-
te sumpta Pœnitentiam præsupponit; ne id videamur affirmare,
ac si in peccata & scelera prolapsis, si absque Pœnitentia & Fi-
de, Baptismi nude historice & tantum non frivole recordentur,



remissio statim peccatorum & salus æterna obtingat; tantum enim adest, ut in hoc casu per Baptismum salvi fiant, ut potius exitio ipsis cedat & condemnationi. Verum enim vero ut supra monuimus, ita & nunc dicimus, virtutem & efficaciam Baptismi per totam hominis Christiani vitam ita durare & operari, ut idem post Baptismum in peccata prolapsus, fidem suam verbo denuo excitatam per operationem Spiritus S. recordatione fœderis olim in Baptismo initi, confirmare & possit & debeat. Hoc namque modo complures, qui in extremo vitæ periculo constituti Sacramentum Confirmationis sive Eucharistiam habere non poterant, recordatione serua Baptismi sese erexisse & sic salvos fuisse factos, prolixè ex Historia comprobari posset. Nec tantum Adulti sed & Infantes per Baptismum salvi fiunt. Nam & hos concernit illud Christi effatum: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Pubem hanc in primo teneræ ætatis flore decedentem, beatam prædicare, nulli dubitamus: Ut enim taceam Patris in cœlis voluntatem non esse, ut quisquam ex pusillis pereat, juxta *Matth. c. 18. v. 14.* Ut taceam, Christum etiam pro ipsis Sanguinem suum effudisse, sufficit, Parvulos illos juxta mandatum Christi baptizatos esse, & quod maximum est, credere, (hoc enim reverâ in Infantibus esse vel inde patet, quia perversis suis, naturâ, ratiociniis Spiritui S. & ejus operationi obicem & impedimentum, prout quidem Adulti sæpius faciunt, non ponunt ipsi, sed magis obediunt,) adeoque etiam certissime salvari: ita namque tum demum Spiritus S. operatio quam efficacissime in ipsorum animis sese exerit, & fidem per Baptismum implantatam magis magisque excitat, (maxime si pii Parentes ipsos Baptismi ipsorum commonefaciant,) ut eâ meritum Christi Salvatoris sibi applicare, & in hac fiducia confirmari sicque æternum salvari possint. (β) *1. Petr. 3. v. 21.* Baptismus *fœdus* appellatur: Ex hoc licet Homo per peccata exciderit, fœdus tamen istud à parte Dei non dissolvitur, ita ut non amplius
ad

ad illud pateat reditus, sed est & manet æternum fœdus, quia infidelitas hominum, Dei fidem non reddit irritam, juxta *Rom. c. 3. v. 3.* & Deus nihilominus fidelis manet, licet increduli simus, cum ipse se ipsum abnegare nequeat, juxta *2. Tim. c. 2. v. 13.* quocirca idem nos ad fœdus semel percussum revocat & reverti jubet, *Jer. c. 3. v. 12. & v. 1.* Addo quod Baptismus successerit Circumcisioni, *Col. c. 2. v. 11.* quæ sigillum gratiæ fuit, *Rom. 4. v. 11.* Cum vero sigillum etiam in futurum efficax sit, & Baptismus in futurum efficax dicendus erit. Eleganter *B. Gerbardus Confess. Cathol. p. m. 813. T. 2. si qui,* inquit, *ex navi Baptismi per peccata voluntaria in mare perditionis prosiliunt, h. e. deserta promissionis fide in peccati gurgitem se precipitant, navis ipsa non dissolvitur, sed permanet integra, ad quam si per veram pœnitentiam redeunt, in portum Salutis provebuntur.* Id quod exempla Fidelium comprobant: Petrus sane & se & alios Peccatores pœnitentes erigit, dicendo: Baptismi aqua nos salvat, *1. Petr. c. 3. v. 21.* Paulus verò Corinthios & Galatas, quos increpaverat ob commissa delicta, per meditationem Baptismi erigit: *1. Cor. c. 6. v. 11. & Gal. c. 3. v. 27.* ut adhuc exempla Jonathanis: *1. Sam. c. 14. v. 6. & Davidis 1. Sam. c. 17. v. 26, 36.* allegare liceat, utpote qui efficaces ex Circumcisione consolationes in se derivarunt; vid. *B. Scherzeri Systema Definn. p. m. 371. (γ)* Tandem Baptismi Efficaciam in futurum probamus etiam inde, quia vocatur lavacrum Renovationis: *Tit. c. 3. v. 5.* quia Justitia & Sanctitas per lapsum Adami amissa in Baptizatis instauratur, non quidem virtute aquæ in se, sed in Spiritu Sancto. Ergò initium Renovationis est in Baptismo, ea tamen per totam continuari debet vitam, quod prob. *ex Rom. 6. v. 12, 13. c. 12. v. 2. Col. c. 3. v. 10. Eph. 4. v. 23, 24.* Hoc igitur cum sit, sequitur Baptismum quoque in futurum efficax esse medium, unde meritò Renovationis lavacrum ab Apostolo dicatur.

§. VII. Ex dictis nunc patet, quantam solatium ubertatem ex Efficacia Baptismi quilibet sacro isthoc fonte tinctus haurire possit. Nulla certe calamitas est, adversus quam salutare hoc lavacrum ipsum non possit quam efficaciter erigere, & in ea conservare. Ipsa lactentium & ætatis aliquanto proVectioris turba contra quosvis iniquæ fortunæ casus efficaci isthoc salutis medio gaudet. Unde enim provenire putas tantam etiam in gravissimis & tenacissimis morbis patientiam? unde tot suspiria & preces, tanta in Deum fiducia tantoque ab ullo adulto vix editas fervore, quanto quidem tenera Parentum piorum, pubes etiam in agone constituta, edit? Sane ex operatione Spiritus S. efficacissima provenit omne, quippe eò Pusilli isti in Baptismo uncti & obsignati fuerunt, cujus operatione Christum induerunt, in quo justificati per Fidem in Baptismo collatam, pacem habent cum Deo per Jesum Christum &c. ut adeò decumbentibus ægre deque vita decedentibus Liberis suis, Christiani Parentes non possint non acquiescere, quod sciant, Liberos suos magis beate (ut sic dicam) è vita abire non posse : Imo id omni studio votoque expetere debent, ut juxta Christi effectum etiam hac in re Liberos suorum evadant simillimi, quo in foedere & per idem foedus cum Deo in Baptismo percussum, aliquando tam placide tamque beate debito vitæ liberari ipsis obtingat.

CAPUT III.

De Antithesi vera nostra sententia opposita.

§. I.

Campum satis amplum ingredior, de Adversariorum postremum dicturus Sententia nobis opposita. Hæc autem
varii

varii generis est, prout ipsi etiam Adversarii sunt: Hi enim Efficaciam Baptismi (externi) aut in totum pernegant, quales sunt Calviniani cum Socinianis & Arminianis, aut Baptismo in tantum Efficaciam suam denegant, in quantum à nobis in futurum quoque tempus perdurare affirmatur; quales quidem Adversarios hic Pontificios habemus.

§. III. Ad Calvinianos quod attinet, notus alias satis est ipsorum error, quod nempe Baptismo efficaciam plane derogent: Confessionis eorum verba in Prooemio adduximus: Fingunt autem duplicem iidem Baptismum, externum & internum: *illum* dicunt esse nudam aquæ asperisionem, habentem solam *ἔξω* & significationem; *hunc* verò immediatam Spiritus Sancti Baptizatum regenerantis, actionem: Unde licet concedant quandoque, Baptismum esse organon & medium ordinarium, per quod Deus efficaciter conferat & applicet sua Bona, verba tamen tantum inania sunt; siquidem illa vel de Baptismo interno, vel etiam Sacramentaliter sive, ut ipsi explicant, significative de Baptismo externo intelligunt. Dicunt enim, Baptismum esse lavacrum Regenerationis, sed ita, ut quod rei signatæ est, h. e. Sanguinis Christi & Spiritus S. opus, externæ tribuatur actioni per metonymiam sacramentalem. Nituntur autem falsa hypothese, quod statuunt, Sacramenta esse nuda tantum signa significantia gratiæ divinæ, vel jam ante collatæ, vel postmodum conferendæ.

§. III. Quibus ad stipulantur Sociniani, negantes per Sacramenta gratiam Dei efficaciter conferri & promissiones Evangelicas obsignari: Ita enim *Smalcius Disput. 9. contra Franzium: Fabula sunt, inquit, aliquam esse internam efficaciam in Baptismo vel Cæna Domini, cum utraque nil aliud sint, quam externæ hominum actiones, quibus aliquid, quod in mente ipsorum latet, expressum volunt.* Arminiani verò, istis proximo subjungendi, Baptismum ex parte Dei, gratiæ tantum quandam significatio-

ficationem, ex parte vero nostri publicam solum nominis Christi professionem esse volunt. Ita *Episcopus Disput. XXIX. th. VIII. Effectus*, inquit, *sive finis Baptismi non est realis aliqua gratia collatio, sed tantum sola gratie divina & professionis nostrae significatio.*

§. IV. Objiciunt autem Calviniani: (a) Baptismum tanquam externum signum non posse esse efficax salutis medium, quando dicitur, quod regeneret & peccatorum remissionem conferat, eò quod hac ratione postponatur Christi meritum, cujus Sanguis nos potius emundet ab omni peccato, juxta *1. Job. 1. v. 7. & 1. Cor. 6. v. 11.* Sed resp. (1) negamus Baptismum esse tantum externum ac nudum signum, quod ad effectus spirituales producendos tam efficax sit; verum hoc dicimus, quod quia verbum, promissionem & gratiosam Spiritus S. operationem sibi habet conjunctam, ideo etiam efficaciter conferre & obsignare tanquam sigillum Bona Baptisatis in verbo promissa. (2) Subordinata sibi non sunt opponenda: verum est, adscribitur *l.c.* Sanguini Christi emundatio à peccatis, adscribitur etiam Baptismo, *illi* tamen ut causæ principali meritoria, *huic* verò ut causæ secundaria organica. conf. *1. Petr. 3. v. 21. Hebr. 10. v. 22.* Objiciunt (β) nos duplici modo peccare; *uno*, quod Baptismo id adscribamus, quod tamen verbo sit tribuendum; hoc siquidem dicatur nos regenerare: *Jac. 1. v. 18. 1. Petr. 1. 23. altero*, quod quia elemento aquæ vim purgandi animas tribuamus, hanc efficaciam Sanguini Christi & Spiritui S. derogemus, quibus illud in solidum erat adscribendum; & hac ratione dicunt idolum à nobis constitui, nosque aquam Baptismi ex opere operato prodesse, asserere. Verum enim vero resp. (1) Ipsa Scriptura S. aquæ baptismali tantam efficaciam tribuit, *1. Petr. 3. 21. Tit. 3. 5.* (2) Sanguini Christi & Spiritui S. utique vis illa purgandi animas est adscribenda, ea tamen etiam aquæ Baptismi non est deneganda, ne Scripturæ S. contradicamus

(mus. (3) negamus, nos, ex aqua Baptismi facere idolum, ac si occultam efficaciam physicè ei inharere, asserere velimus, ita ut pro sit ex opere operato, &c. verum hoc dicimus: effectus illos regenerandi, salvandi &c. nos Spiritui S. in totum adscribere; ita tamen, ut per aquam Baptismi Verbo Dei munitam & sanctificatam ipse beneficia illa cœlestia velit dispensari, & sic Baptismo utique efficacia licet organica, sit adstruenda. Objiciunt (γ) Baptismum non esse medium, sed tantum signum & sigillum Regenerationis, quemadmodum Circumcisio tantum signum dicitur *Gen. 17. 11.* absurdum igitur esse, dicere, quod gratia Dei huic affixa sit signo: Sed resp. (1) Circumcisio *Gen. 17. v. 10.* dicitur fœdus, & à Paulo *Rom. c. 4. v. 11.* Tò signum per sigillum explicatur; quale nos etiam Baptismum, qui in locum Circumcisionis successit, esse dicimus. (2) Baptismus utique medium Regenerationis est, quia expresse dicitur Lavacrum Regenerationis & Renovationis, per quod Deus nos salvat, *Tit. 3. 5. & Job. 3. 5.* (3) Concedimus, gratiam Dei non esse affixam signis, quo minus extraordinariè Deus etiam absque Baptismo Infantes regenerare possit: Negamus autem recte inde inferri, quasi Baptismus non sit ordinarium Regenerationis medium, ad cuius usum non sumus alligati, obstantibus Scripturæ dictis, *Job. c. 3. v. 5. Marc. c. 16. v. 16.* Objiciunt denique: (δ) Atqui Baptismus in Adultis non est Regenerationis medium, utpote qui per verbum jam sunt regeniti: Si igitur Baptismus non in his Efficaciam suam exerere potest, ergo neque in Infantibus: Resp. Baptismus utique Regenerationis medium est in Infantibus pariter atque Adultis: Regenerationis inquam in illis ut conferendæ & confirmandæ, in his vero ut confirmandæ & obsignandæ. Est enim Baptismus verbum quoddam *ῥῆμα*, per quod Deus efficaciter operatur, uti per verbum *ἄριστον*.

§. V. Quod Socinianos concernit, hi quidem argute satis contra Efficaciam Baptismi argumentantur, non tamen ita, ut

D

non

non possint ex Scriptura S. refutari. Objiciunt autem isti (α) Baptismum esse typum ablutionis interioris, unde *Hebr. c. 9. v. 20.* inter Justitias carnis referatur: Jam vero omnes typi in N. T. sunt abrogati: Sed resp. (1) Homonymia est in voce Baptismi: notat enim hoc vocabulum *L.c. Hebr. 9. 10.* varias illas V. T. ceremonias aquæ asperzione peractas, quas utique in N. T. abrogatas esse, fatemur; quid vero hoc ad Baptismum, qui est N. T. Sacramentum? (2) expresse vocatur Baptismus non typus sed *ἀντίτυπον* ab Apostolo *Petro 1. Petr. c. 3. v. 21.* & a *Paulo* lavacrum Regenerationis & Renovationis, *Timo. 3. v. 5.* Objiciunt (β) à Circumcisione, Sacramento quippe V. T. ad Baptismum Sacramentum N. T. non licere argumentari: cum illius longe alia fuerit ratio, & Deus illam se in signum foederis dare dixerit, quod tamen de Baptismo nusquam legatur. Novum insuper foedus longe diviniora habeat sigilla, quam ut externis ritibus fides illius niti debeat: Sed resp. (1) à Circumcisione ad Baptismum licet utique argumentari, quia in locum Circumcisionis successit, *Col. 2. v. 11.* (2) Circumcisionis & Baptismi diversa quidem, non tamen sibi opposita est ratio: Diversa, quia Circumcisio beneficia per Christum adhuc venturum acquirenda conferebat & applicabat: Baptismus verò per Christum jam presentem pariter confert & obsignat. (3) Baptismum etiam signum foederis esse, vel ex eo constat, quia dicitur *ἐπεσώτηρα εἰς θεόν*, quod certum in gratiæ divinæ reddit, *1. Petr. 3. v. 21.* Signum ergo foederis & sigillum gratiæ necessario erit: huic adde, quod sicut foedus per Circumcisionem sancitum consistebat in promissione, *Gen. 17. v. 17.* ita hanc promissionem ad Baptismum applicari; *Act. 2. v. 39.* Unde denuo evincitur, Baptismum signum foederis esse. (4) habet Novum Foedus diviniora sigilla, quia quæ in V. T. conferebantur ut futura, ea N. T. exhibet & applicat ut presentia. (5) non mere externo ritu nititur fides foederis, sed aqua Verbo Dei inclusa & Verbo Dei

com-

comprehensa, quomodo etiam in Catechesi nostra confitemur; unde licet Sociniani urgeant, Baptismum esse inter res externas, in quibus regnum Dei non consistit, juxta *Rom. 14. v. 17.* fallunt tamen & falluntur, quia nos non dicimus, res purè externas ex vi sua nativa spiritualia conferre bona, sed ex vi dativa & divinitus indita: deinde etiam Apostolus de rebus purè externis, ad hujus vitæ naturalis usum spectantibus loquitur, qualis autem Baptismus non est.

§. VII. Reliqua, quæ Sociniani oggerunt, nimirum ex *Act. c. 22. v. 16.* ablutionem à peccatis tribui Baptismo tantum declarative & signotenus, item, quod *Act. c. 8. v. 37.* fides ex toto corde ante Baptismum requiratur; nec non quando dicunt, adumbrari tantum Baptismo peccatorum remissionem; hæc inquam efficaciam Baptismi nihil efficiunt, siquidem in Baptismo aqua non tantum naturalis, sed Sacramentalis seu aqua in verbo est; deinde abluere peccata *Act. 22. 16.* salvari & regenerari, *Tit. 3. 5.* per Baptismum in remissionem peccatorum baptizari, *Act. c. 2. v. 30.* non sane est adumbrare, sed vere conferre Bona coelestia; & tandem verum est, quod fides requiratur ante Baptismum, in Adultis, quod tamen non obstat, quo minus exemplo Abrahami *Rom. 4. v. 9.* fides in ipsis per Baptismum obfignetur.

§. VII. Arminianos refutavimus una cum Calvinianis: Restat ut Pontificiorum faciamus mentionem. Hi ipsi cum Mesalianis colludentes, efficaciam Baptismi tantum qua præteritum & præsens, haudquaquam quæ futurum esse tempus dicunt, quocirca cum tabula prima quæ post naufragium arripitur, & cum Novacula comparant. Sed contradicunt audaculi isti Scripturæ S. Petrus quippe *1. Petr. 3. v. 21.* Baptismum non tabulæ primæ sed navi integræ, arcæ Noachi confert, & salutem animarum ipsi attribuit. Ut taceam, eos sibi ipsis contradicere; *Thomas* quippe & *Sotus*, non diffitente *Gregorio de Valentia*:

Tom.


Tom. IV. col. 1568. Baptismum cum navi integra comparant. Deinde si cum Messalianis dicere velimus, Baptismum instar novaculæ peccata tantum præterita tollere, cur quæso indefinite dicitur: Baptismum peccata tollere? Act. 2. v. 38. cur Rom. 6. v. 3. in mortem Christi baptizari dicimur? Anne quod mors Christi quoad præterita tantum peccata sit efficax? Absurdum! Cum igitur ipsorum Sententia tam aperte Scripturæ contradicat, eaque insuper toties quoties à nostratibus sit refutata, nos ulterius hic nihil moramur; Deum potius supplices veneramus, velit is porrò Ecclesiæ suæ clementer adesse, eamque contra omnes Satanæ machinationes, hostiumque insultus potenter tueri, quò hic & ibi quoque Ei Semper sit Laus; Honor & Gloria!


Ἐπίμετρον.

Benè inter ipsos Pontificios, Adrianus & Petrus de Walenburch Tom. II. Oper. sub fin. in Regula fidei Cathol. cap. I. §. 3. *Nil est de fide divina eorum omnium, quæ novimus ex revelationibus factis post tempora Apostolorum, quibusvis etiam Sanctis, Ambrosio, Cypriano, seu aliis, antiquis illis aut recentioribus, quarum myriades sunt in vitis Sanctorum, Catharina Senensis, Brigitta &c. etiamsi approbata forent tales visiones à quibusdam Conciliis etiam universalibus, quales aliqua referuntur in 2. Niceno, &c. Quia ista non sunt revelata Prophetis & Apostolis. Fides proinde, quæ haberi potest iis, humana est, quæ penes Autores referentes est; nutans, probabilis; certa aut improbabilis, pro qualitate referentium & circumstantiis talium revelationum. Pleraque vel nutant vel false sunt. Ita Par Fratrum illorum non ignobile. Absit itaque, ut nos orthodoxi talibus hodiè revelationibus plus affingamus aut tribuamus.*

¶ (o) ¶







Q. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA
De
**EFFICACIA
BAPTISMI,**

Quam
Consentiente
Amplissimo summeque Reverendo Theologorum
Ordine in Academia LIPSIENSI

SUB PRÆSIDIO
DN. D. VAL. ALBERTI, P.P.
Consistorii Electoralis & Ducalis, nec non
Facultatis Theologicæ Assessoris gravissimi, Academiæ
Decemviri, Alumnorum Electoralium Ephori, Collegii
B. Mariæ Virginis Collegiati, & Polonicæ Nationis
Senioris,

Domini Patroni ac Præceptoris sui omni cultu
devenerandi,

In Auditorio Theologorum Paulino
publice ventilandam proponit

ABRAHAM ROTHE,
Sora Lusat.

A. & R.
Anno M. DC. XCII. d. 3. Maij.

LITERIS CHRISTIANI GOEZI.